Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36559
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tiones accipiamus dictas quas facimus in celebratione sacramentorum antequam il 11
lud quod est in domini mensa incipiat benedici. orationes cum benedicitur et sanctificatur
et ad distribuendum comminuitur. quam totam peticionem fere omnis ecclesia dominica
oratione concludit. adque eius intellectum etiam verbi greci origo nos adiuvat.
Nam eam quam dicunt euchen raro ita scriptura ponit. ut intelligatur oratio.
Sed plerumque et multo usitatius votum appellatur euche. proseuchen vero quod verbum
ibi positum est unde tractamus. semper orationem vocat. Unde hanc verbi originem
sicut superius dixi. non nulli minus erudite intuentes. proseuchen non orationem
sed adorationem dicere voluerunt. quae potius prosonesis dicitur. Sed quia oratio interdum
vocatur euche. adoratio putata est proseuche. Porro si usitatius ut dixi in scrip
turis votum appellatur euche. excepto nomine generali. orationis ea
proprie intelligenda est oratio quam facimus ad votum. id est proseuchen. Vovent
autem omnia quae offeruntur deo. maxime sancti altaris oblatio. quo sacramento
predicatur nostrum illud maximum votum quo nos vovimus in christo esse mansuros.
utique in compage corporis christi. cuius rei sacramentum est quod unus panis unum corpus
multi sumus. Ideo in huius sanctificatione et distributionis preparatione existimo
apostolum iussisse proprie fieri proseuchas id est orationes. vel ut non nulli minus
periti interpretati sunt adorationes. Hoc est enim ad votum quod usitatius in scripturis
nuncupatur euche. Interpellationes autem sive ut nostri codices habent pos
tulationes fiunt cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velud advo
cati susceptos suos per manus impositionem misericordissime offerunt potestati.
quibus peractis et participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit. quam
in his etiam verbis ultimam commendavit apostolus. Hec autem causa precipua fuit
ista dicendi. ut his breviter perstrictis atque significatis. non putaretur negli
gendum esse quod sequitur. pro omnibus hominibus. pro regibus et his qui in sublimitate
sunt. ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et karitate. ne
quisquam sicut se habet humane cogitationis infirmitas existimaret non esse
ista facienda pro his a quibus persecutionem patiebatur ecclesia. cum membra christi
ex omni essent hominum genere colligendi. Unde adiungit et dicit. hoc enim